



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. De Corcyrà.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

prædictâ, vel ab Io boue, quasi βοὸς ὠλή, propterea quod Io hic in antro quodam Epaphum genuisset.

QUANTITAS. *Longitudo* eius ex Ptolemæo eiusque principiis est à Cœneo Pro. ad Caphareum Pro. stadiorum 1125. *Latitudo* verò à Cerintho ad Chalcidem metropolim 250. stadiorum.

QUALITAS. Olim Bœotix annexa erat, sed terræ motu, quo hæc Insula laborare solet, abrupta est, inquit *Strabo*. Calidis abundabat aquis; quæ in campo Lelanto, erant admodum salutares, ait *Plinius*: meminit idem Carystij marmoris, quod ad urbem Carystium effodiebatur. Item æs hic primò repertum fuit. Olympias ventus erat huic Insulæ peculiaris. De piscibus falsis, & Euripo dicemus in Admirandis.

MORES. Doctissimi fuere Eubœenses, & literis deditissimi, ut testantur Academia Eretriensis, & Chalcidensis, quarum meminit *Strabo*. Colebantur illic Gigantes Briareus, & Ægeon.

POLITIA. In eâ Abantes rerum potiti sunt ex Phœcide digressi, ut suprâ innuimus. Instituta postea duæ Resp. Chalcidis & Eretriæ, quæ Colonias dimiserunt in varias Regiones; his principia dederunt Athenienses, Aclus Eretriæ, Cothus Chalcedi.

NVM. 2. De Corcyra, Phœacibus, & Corcyreis.

NOMEN. Dicta est hæc Regio *Corcyra*, & *Cercyra*: *Coreyra* quidem à *Corcyra* Nymphâ quam Neptunus rapuit, & in eam Insulam detulit, ait *Diodorus*. *Cercyra* autem à *Cercyre* Asopi filiâ. Appellata quoque *Phœacia* à *Phœaco* Neptuni & *Corcyræ* filio, ut vult *Stephanus*, vnde populi *Phœaces* huius insulæ Coloni, de quibus tam multa *Homerus*. *Ceraunia* quoque dicitur apud *Apollonium* 4. *Argon*. Apud *Æthicum* *Cassiope* ab urbe cognomine. *Eustathius* quoque notat vocatam esse *Scheriam*, *Argos*, & *Drepanem*: & *Drepanem* quidem, vel à falce quam à *Vulcano* impetrarat *Ceres*, eamque hic defoderat, vel ab eâ quâ *Saturnus* patrem exsecuit. Inuenitur quoque dicta *Macris* à *Macride* Nymphâ *Bacchi* nutrice.

QUANTITAS. Ex Tabulis Ptolemaïcis, eiusque mensurandi ratione *Longitudo* Eubœæ ab urbe *Cassiope*, ad *Leucimna* Pro. erat 583. stadiorum. *Latitudo* ab *Amphipego* Prom. ad *Corcyram* urbem 166. stadiorum.

QUALITAS. Fertiles agros hinc fuisse intelligimus ex studio Agriculturæ, quod in huius insulæ cultoribus viguit. Distabat tantum 12. passuum millibus ab Epiro, seu stadiis 96. cui frumenta sufficiebat.

MORES. *Strabo* Corcyræos ait eadem tonsurâ, linguâ, chlamyde, cum Macedonibus vsos. Rei nauticæ fuere peritissimi, ideoque ditissimi, & deliciis omnibus abundantes. Superbiæ & fastus ab omnibus arguuntur, & eorum scuticæ abiere in Paræmiam, de qua lege Adagiographos.

POLITIA. Olim Corcyræi habuere suos Reges inter quos numerantur Alcæus, & Alcinous Nasicæ pater, qui Phæacibus imperabat. Ex Melitâ Insulâ prodiisse Phæacas dicemus lib. 5. huius partis. Postea in Reip. formam transit, & ad tantam excreuit potentiam, vt Colonias aliquot emisit, quarum celeberrima Epidamnus, cuius causâ Græci tantâ obstinatione concurrere. Sola Eubœa 60. naues ad bellum Persicum misit: postea adeo deserta fuit, vt locum inquinatissimo Prouerbio dederit.

De aliis Insulis Lemno, Cephaleniâ, Zacyntho, Sporadibus, Cycladibus dicemus in Geographica descriptione.

C A P V T VII.

Achaia, seu Helladis Geographica descriptio.§. I. *Attica, hodie le Duché de Setines, ou d' Athenes.*

ATHENÆ, hodie *Setines*, tam celebres vt nullius egeant præconio, inquit Plinius, commune totius Græciæ ὀψιθηροῦ Aristidi, ἀπὸ Antonomasticos dicta, cuius incolæ dicti *Astici, Pelasgi, Cranai, Cecropide, Iones*, & tandem *Athenienses*, ait Stephanus, à Minerua Ἀθηνᾶ. Hanc descriptam vides accuratè in Tabulâ, vbi inter duos Fl. Cephisum & Ilissum iacet cum arce celeberrimâ in qua olea bello Persico mirabiliter succreuit, & Tyrannorum receptaculum fuit. Vides hinc quoque *Academiâ, Lyceum*, & alia loca quæ satis est indicasse. De Portibus vrbi coniunctis per longos muros dicemus in orâ Maritimâ.

Oenoe, vrbs in confinio Bœotix & Atticæ, bello Pelopon-